

**PHILOSOPHIA  
PRACTICA ET SPECV-  
LATIVA,**

*Quam*

D. O. M. V. M. S. F. X. AA.

**A V T H O R I -  
T A T E , E T C O N S E N -  
S U R E V E R E N D I S S I M O -  
R U M , A D M O D U M R E V E R E N -  
D O R U M , M A G N I F I C O R U M , N O B I L I U M ,  
& C l a r i s s i m o r u m V i r o r u m , S p e c t a b i l i s D o m i -  
n i Decani, DD. Seniorum, cæterorumq; DD. Doctorum**

Inclytæ Facultatis Philosophicæ

*In Antiquissimâ, ac Celeberrimâ Universitate  
Viennensi, Anno Salutis reparata M. DC. XLVI.*

*Mense Die*

P R A E S I D E  
R. P. NICOLAO AVANCINO  
E SOC: JESU, AA. LL. ET PHILOS:  
DOCTORE, EJUSDEMq; PROFESSORE  
ORDINARIO, NEC NON p.t. SENIORE  
CONSISTORIALI.

Propugnabit

Nobilis ac Eruditus D. MATTHIAS MULLE,  
Carinthius Velkirchensis, AA. LL. & Philosophiæ Baccalau-  
reus, ejusdemque pro Suprêmâ laureâ  
Candidatus.

VIENNAE AVSTRIÆ,  
Typis MATTHÆI COSMEROVII in Aulâ Coloniensi.





I.

**P**HILosophiam in speculativam & practicam divisit Authoritas. Ad illam spectat Philosophia Naturalis, & Suprema ; ad hanc Rationalis, & Moralis. Naturalis in Corporis naturalis; Suprema in Entis abstracti speculatione occupatur. Rationalis Intellectum, Moralis Voluntatem tanquam objectum materiale, per actus rectos tanquam per objectum formale dirigit.

## EX PHILOSOPHIA RATIONALI.

I. I.

**L**OgICAM Utentem à Docente connotata distingunt, non essentia. Ad alias Scien- tias non minus pertingere poteris sine Logicâ, quam sine navi ad Antipodas, sine sca- lis ad tectum.

I. I. I.

**T**Res sunt mentis operationes. Prima, est appre- hensio simplex in entitate, et si sit objectivè com- posita. Secunda, est Judicium; si affirmativum, est purus annutus; si negativum, abnuttus intellectus.

I. V.

**V**Eritas & falsitas denominations sunt actui partim intrinsecæ partim extrinsecæ. Illa enim est confor- mitas; hæc, disformitas actus ad objectum. Reperitur alterutra semper in judicio, est tamen ei merè acciden- talis.

B

V. Pro-

**P**ropositionum contradictiarum de futuro contingenti in causis spectato, neutra; spectato in even-  
tu, una est determinatè vera, altera falsa. Idem judicium de verò in falsum, aut contra, nunquam potest mu-  
tari.

## V I.

**S**yllogismus est Oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab ijs, quæ posita sunt, necessariò acci-  
dit. Requirit plura distincta judicia. Conclusio à  
judicio essentialiter differt. attingit essentialiter objecti-  
vè etiam præmissas.

## V I I.

**P**ræmissas qui concessit, Intellectum alligavit con-  
clusioni, tam quoad exercitium, quàm quoad speci-  
ficationem: quamvis ex non effectivè, sed in genere,  
tantùm causæ formalis extrinsecæ concurrant.

## V I I I.

**A** Medio Syllogismus aut est probabilis, aut demon-  
strativus. Demonstrationis præmissæ certiores  
sunt, & evidenteriores; non tamen conclusione veriores.  
Demonstratione scientia comparatur.

## I X.

**O** Pinio simul & scientia in eodem Intellectu non,  
minùs consistere possunt, quam in eodem aëre lu-  
men Solis & Lampadis; sive eodem actu velis, sive di-  
versis.

## X.

**P**radicamentorum decalogus non est Sacer. Autho-  
ritatem si tollas, nulla eum ratio firmat. Vnum fa-  
cilius sustinebis, vel etiam duo si velis. Univoca & æ-  
quivoca admittimus: analoga fictitia sunt.

*QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.*

*I. An dari Intellectus possit, qui à Logicâ dirigi nequeat.*

*II. An scire quis simul, & errare possit circa idem.*

# EX PHILOSOPHIA MORALI.



I.

**O**RALIS Philosophia hominis mores ad rationis leges componit. In Monastica, Oeconomicam, & Politicam dividitur. Monastica Ethicæ nomen retinuit; hominemque secundum se spectatum instituit.

II.

**A**Ctiones humanæ pro objecto respiciunt bonum. Voluntas odiſſe bonum non potest: amare potest omnia, quibus aliqua boni ratio inest. Malum ut tales prosequi non potest, nec impossibile actu absoluto efficiaci.

III.

**B**ONUM & finis convertuntur. Finis alias est ultimus secundum quid, quem in certâ & peculiari operatione primò intendit operans, ultimo acquirit. Alius Ultimus simpliciter, in cuius adeptione conquiescit appetitus. Nequit homo simul & semel plures sibi fines simpliciter ultimos constituere.

IV.

**F**elicitatem suam qui in voluptatibus ponunt, ad feras se damnant; qui in honoribus, ad fumos; qui in divitijs, ad solicitudines. Vera felicitas objectiva, Deus est; formalis verò est actus vitalis tūm voluntatis, tūm intellectus.

V.

**M**edia ad felicitatem sunt actus humani voluntarij & liberi. Voluntarium dicitur id omne quod pendet à voluntate. Coactum voluntario opponitur: est

est quod infertur ab extrinseco repugnante appetitu. Voluntas in actibus à se elicitis nequit cogi aut violentari.

V I.

**L**ibertas formaliter est in voluntate, radicaliter in Intellectu. Ideoque sola voluntas positis omnibus ad agendum requisitis potest agere, & non agere. Libertas in actu est denominatio extrinseca. Potest idem de libero fieri necessariū, & contra. Nequit dari pura omissio.

V I I.

**V**oluntas ut operetur, præviam requirit intellectus faciem. Sed qualiscunque sit prævia intellectus cognitio, ea non concurrit effectivè ad actum voluntatis, sed tantum est conditio proponens objectum.

V I I I.

**V**irtus moralis media est inter extrema. Resident omnes in voluntate. quare Prudentia propriè moralis virtus non est, quamvis inter quatuor Cardinales numeretur: residet enim ea in Intellectu.

I X.

**P**rudentiæ actus sunt, Consilium, Electio, & Imperium. Quare Imperium non est actus voluntatis, sed Intellectus; connotat tamen actum voluntatis. Justitia est constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi. Duplex est, Commutativa & Distributiva.

X:

**F**ortitudinis est agere & pati fortia. Etiam fuga est actus fortitudinis: non autem duellum, non vindicta, non sui cædes. Temperantia per se in temperandis tactus, gustusque oblectamentis versatur.

### QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.

I. Monasticæ Politicæ præstet, ac Oeconomicæ.

II. Volendone, an nolendo certius ad felicitatem perveniat.

E X

# EX PHILOSOPHIA NATURALI.

I.



**O**R P O R I S naturalis principia in fieri tria, in facto esse duo sunt. Conveniunt in ratione principiandi univocè. Omnia per suum esse principiant in actu primo; in actu verò secundo per unionem.

II.

**P**riuationem simul cum formâ stare eodem generationis instanti reali implicat. Privatio non est merum non esse, sed dicit simûl aliquid positivum. Non est una omnium formarum absentium, sed tot, quot illæ.

III.

**D**ari materiam non est evidens: datur tamen. essentiam, existentiamque non mendicat à formâ. quare exui poterit saltem supernaturaliter omni formâ. Sic exuta non egebit peculiari Dei concursu.

IV.

**M**Ateria respicit formas substantiales & accidentales transcendentaliter, implicante vel una implicaret ipsa. Præsenti gaudet, absentes omnes desiderat, etiam corruptas.

V.

**M**Ateria una plures suscipere formas, forma vero pluribus inesse materijs potest. Una specie est de facto in omnibus creatis corporibus. Non implicat alia, specie diversâ; imo neque spiritualis.

VI.

**C**Ausarum propriarum ternio sufficit. Finalis enim causalitas metaphorica est. Propter finem quæ agunt, cognoscunt. Effectus hujus non est externum opus, sed actus voluntatis circa finem & media.

C

VII.

V I I.

**E**fficiens mediâ actione; materialis & formalis mediâ unione modaliter distincta causant in actu secundo: in actu primo suis ipsâ entitatibus sine ullo superaddito constituuntur. Totum à partibus unitim sumptis solum ratione distinguitur.

V I I I.

**N**ec datur mutua causalitas, nec idem seipsum producere, aut reproducere potest. Idem effectus à pluribus causis totalibus vnitim, ac divisim sumptis oriri potest. Non datur actio in distans.

I X.

**A** Gunt substantiæ, & accidentia. Cum accidentia in proprio subjecto existente influit, etiam substantia ad productionem symboli accidentis in subjecto alieno. Nec obstat, quod accidens illud ex se sufficientem habeat virtutem ad aliud producendum. Cæterum potest quidlibet producere quidlibet ad certam causam non determinatum.

X.

**C**ausa prima ex se solâ agit ad extra, & cum secundis. Secundas non prædeterminat physicè; Determinat tamen ad effectus individuationem. se solâ creare potest omnes substancialias & accidentia, etiam modos. Vis creativa principalis communicari potest creaturæ.

X I.

**M**otus est actus entis in potentia prout in potentia. Est inter terminos contrarios, aut medios. Localis terminum alium acquirit, alium producit: ille est locus extrinsecus, sive spaciū reale; iste est locus intrinsecus, sive Vbi distinctum.

XII.

X I. I.

**P**ossunt replicari corpora; replicata contrarijs affici accidentibus; intelligere, & non intelligere; assentiri, & dissentiri; velle, & non velle; velle, & nolle; vivere, & mori.

X I. I. I.

**V**acuum dari nequit virtute creata; non repugnat Divinâ. in illo neque projecta naturaliter moveri possent, neque gravia, aut levia. Nam & projecta, à virtute impressa feruntur; & gravitas ac levitas sunt merus respectus corporis rari, aut densi ad medium.

X I. V.

**T**empus est numerus motus secundum prius & posterius. Extrinsecum est motus universi; intrinsecum, rei cuiusvis duratio. Duratio successiva est: à re durante distinguitur, non autem ab actione conservativa.

X. V.

**Q**uantitas à re quanta distinguitur. Continua, constat partibus actu distinctis in infinitum divisibilis. Partes ipsæ non per puncta continuativa, sed per uniones divisibiles copulantur.

X V. I.

**I**nfinatum categorematicum extra Deum nec datur, nec dari potest. Ideoque perfectissima creatura implicat: implicat pariter Deum totum id simul facere, quod potest facere. hoc tamen omnipotentiæ nihil derogat.

*QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.*

- I. Quis fieri possit, ut quis feriā sextā licet omnes partes alaudæ comedat, ipsa integrâ remanente.*
- II. Quomodo unicus homo omnem Imperatori Ferdinando infestum exercitum potest debellare.*

DE

# DE MUNDO ET COELO.

I.



ETERNITATEM Mundi fides damnat, ratio evertit. Implicat enim creaturam esse ab æterno, etiam divinitus. Erravit ergo Aristoteles, qui mundum ab æterno statuit; quem nos in tempore productum tenere debemus.

I I.

**M**UNDUS unus est, plures non implicant: perfectus est; perfectiores dari possunt: liberè à Deo productus. Cum solo Dei generali concursu potest prout defactò est durare in æternum.

I I I.

**C**OELORUM numerus ternario completur, Aëreo, Sydereo, Empyreo: si velis etiam binarius sufficiet. Sydereum ergo unicum est, idque liquidum & fluens, ex forma, ac materia compositum, & corruptibile.

I V,

**A**stra moventur ab extrinseco. Motus non est illis virtus activa, sed virtutis applicatio. Quare illo cessante, licet aliquæ, non tamen omnes continuò desinerent sublunarium rerum generationes.

V.

**A**stra sunt corpora solida à cœlo distincta. Alia inter se specie, alia numero differunt. Ex Solis & Lunæ aspectibus arguimus etiam alia Sydera esse figuræ Sphæricæ.

V I.

**S**Oli totum lumen est congenitum; reliqua astra, si non omne, certè primarium lumen à Sole accipiunt,

unt, & per reflexionem ad nos refundunt, Stellarum scintillatio tūm à medio provenire potest, tūm ab ipsis Stellis.

V I I.

**A**stra in res sublunares agere per occultas quasdam qualitates, à lumine & calore distinctas, probabile quidem est; nulla tamen id asserere cogit necessitas. In voluntatem humanam solum possunt indirectè agere.

V I I I.

**N**emo ex astris legere potest, quæ à libera pendent, hominis voluntate: aliqua tamen, suppositâ naturæ, complexionis, habituumque cognitione, ex accessu atri humores variè commoventis, conjectari probabiliter possunt.

I X.

**A**strorum quidem ortus & occasus, conjunctionesque & Ecclipses, quæque eorum motum consequuntur, prædici possunt ab Astrologis; non possunt tamen certò & infallibiliter pluvia, fulgura, ac tempestates, &c.

X.

**G**enethliacorum horoscopi, & ex siderum planetarumque aspectibus, & situ, tempore Nativitatis, de bona, malaue fortuna ac indole prædictiones, mera sunt commenta, & imposturæ.

*QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.*

*I. An ex duobus eodem instanti reali natis, eodem mortuis alter altero diebus aliquot senior mori possit.*

*II. Fierine possit, ut eodem anno hominibus in eodem loco agentibus aliquibus dies Paschatis in diem Parafceves indidat.*

D

EX

# EX METEORIS.

I.



METEORUM est corpus imperfectè mixtum ex vapore & exhalatione. Locus Meteororum est terra, aqua, aëris. Causa materialis est vapor & exhalatio: efficiens, Sol, Luna, astra, ignesque subterranei. Dividitur in hypostaticum & Emphaticum.

I I.

IGNES impressiones in infima aëris regione pro varijs connotatis varia nomina, Ignis fatui, Lambentis, Castoris, & Pollucis sortiuntur. Pariter in secunda regione eadem exhalatio accensa dicitur Draco volans, Capra saltans, Sidus discurrens, ascendens, cadens &c. Accenduntur vel à Sole diurno, vel motu, vel antiperistasi.

I I I.

TONITRU, est sonus factus ab exhalatione intra nubem discurrente & rumpente, vel exsiliante, ac aërem dilacerante. Tonare potest etiam fudo, serenoque cœlo. Commentum est Bodini tonitru à Dœmonibus causari.

I V.

FULMEN in terras virtute impressa defertur. etiam sursum eliditur. Obliquis plerumque lineis fertur. Lapidem aliquando, seu cuneum secum defert: hic tamen fulmen non est.

V.

COMETARUM alij sunt superlunares, alij sublunares. Parallaxi deprehenduntur aut supra, aut infra lunā vagari. Sublunarium materia sunt terræ, & aquæ; Superlunarium autem, ipsæ cœlorū ac siderum exhalationes.

Magni-

Magnitudo, duratio, locus, situs Cometarum nullus certus est.

V I.

**I**ris plerumque semicircularis videtur. potest etiam pleno descripta circulo videri. Duæ concentricæ aliquando eodem colorum ordine, aliquando inverso cernuntur. Radiorum pictura in reflexionem, refractionem, umbrosique cum lucido mixturam est referenda.

V I I.

**P**Arelium, & Paraselene, sunt Solis & Lunæ imagines in nubibus per reflexionem, aut refractionem emicantes. Dari possunt etiam aliorum siderum reflexæ, ac refractæ imagines. Galaxiam esse stellularum multitudinem telescopium detexit.

V I I I.

**N**ubes, est vapor citra gelationem densatus. Pluvia est nubes in aquam resoluta. Pluere potest aliquando naturaliter ranis, frumento, cinere, lacte, sanguine, lapidibus, vitulis, &c. Possunt pluvijs inundari provinciæ naturaliter; non totus orbis. Grando est gelata pluvia: Nix, nubes siccior, rarerque, friabili densitate gelata.

I X.

**A**ëstus Maris, vel fit per occultas Solis, ac Lunæ qualitates, quæ corpuscula terrea, natura sua fundum potentia, attrahunt: vel si tales non dentur qualitates, est febris quædam marina, ad febris humanæ analogiam explicanda.

X.

**V**entus est vapor terrestris subtili frigore mediæ regionis aëris densatus, qui percussus ab eodem aërem per partes impellit. Venti non differunt inter se specie. Sub terram inclusi, terræ motus causant; quos etiam non raro ignes subterranei generant.

## QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.

- I. Cur ad tonitru partum effundant Cervæ, nascantur fungi &c.
- II. Cur fulmen vaginâ illæ sà aliquando gladium liquet ; innocuâ carne ossa comminuat ; aliquando contrâ.

## DE ORTU ET INTERITU.

I.



ENERATIO, est mutatio de non esse formæ in subiecto, ad esse ejusdem in illo. Forma-liter est actio productiva unionis inter partes substantiales. Hinc terminus *Quo*, est unio ; terminus *Qui*, compositum.

I I.

Onversio definitur esse transitus unius rei in aliâ. Cest inter terminos positivos. Ad conversionem Physicam sufficit moralis terminorum oppositio. Terminus à *Quo* simpliciter perire, ad *Quem* simpliciter incipere debet.

I I I.

Orruptio unius, est generatio alterius, non forma-liter, sed consecutivè : sunt tamen simul tempore. Ad materiam in corruptione resolutio non datur.

I V.

A lteratio ordinatur ad generationem. Intensio qualitatum fit per additionem gradûs ad gradum. Gradus omnes sunt homogenei. Remissio contra fit per detractionem gradus. Individuus expellendus, uti & producendus à Deo determinatur.

V.

N Eque simile agit in simile ; neque idem in seipsum actione univoca agere potest. Neque hoc fieri posse arguit antiperistasis, quantumvis corporis circumsepti virtus augeatur, neque Refractio, aut reflexio.

VI.

V I.

**A** Gunt, reaguntque qualitates contrariæ: quo magis activæ, magis sunt resistitivæ. Resistentia activa ipsa est earum actio: formalis verò, earum entitas in subiecto, prout connotat contrariæ applicationem.

V II.

**R** Aritas, & densitas non sunt qualitates rebus raris, aut densis superadditæ; sed sunt res ipsæ per corpusculorum ingressum, aut expulsionem, ad majus spatiū distentæ, aut ad minus contractæ; exigente tamen eum corpusculorum ingressum aliquâ qualitate.

V III.

**E** Lementum est id, in quod cetera corpora resolvuntur. Singulis binæ qualitates in summo conveniunt. Igni calor & siccitas; aëri calor & humiditas; aquæ frigus & humiditas; terræ frigus & siccitas. Non sunt formaliter in mixto, sed virtualiter.

I X.

**T** Emperamentum est primarum qualitatum proportio. Variatur sàpè ætatis decursu. Ad studia, complexio Austriacorum est excellens. Flava enim plerumq; bilis, aut sanguis in eis dominatur, que spiritus igneos creat. in quibus atra sociatur, ingenio sunt primi.

X.

**S** Uæ sunt cuivis complexioni virtutes, & vitia, in quæ propendet. Cholerici sunt præsumptuosí, audaces, & iracundi; sed facilè placabiles; ingenio acuto, sed vago. Sanguinei cerei sunt in utramq; partem, hilares, ingeniosi; sed curarum impatientes. Phlegmatici sunt ignavi, timidi, ingenio tardo, animo plerumq; sedato, & facilè inediā tolerant. Melancholici, ut aspectu, sic animo torvi, pigri, fallaces, morosi, avari; ad maniā propensi: ingenio acuti; judicio & memoria excellunt.


E

QVÆ-

# QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.

- I. An libra una plumbi gravior sit, quam libra plumarum.
- II. Sanguineine magis ad studia sint idonei, quam Cholerici.

## D E A N I M A.



I.

**N**IMA Aristoteli est actus corporis organici: nobis, est actus viventis. Dividitur univocè in Vegetativam, Sensitivam, & Rationalem. Non implicant plura animarū genera. Anima non est in corpore, ut Nauta in navi.

I - I.

**V**Num vivens una vivit anima. in formatione tamen foetus, plures esse animas successivè, probabile est. Formæ partiales in viventibus nullæ sunt: partes animarum divisibilium homogeneæ sunt. In mortuis sunt formæ partium.

I I . I.

**V**Ita in actu primo, sita est in aptitudine movendi se ab intrinseco vel realiter, vel intentionaliter. Vita in actu secundo est actus vitalis. Is à potentia vitali procedit, & in eadem recipitur essentialiter.

I V,

**N**Ullæ animæ potentiaæ secundùm rectum ab anima realiter distinguuntur; materiales tamen secundùm obliquum. Vegetativæ præcipui actus sunt generatio, nutritio, augmentatio. prima est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ à principio conjuncto. altera est conversio alimenti in substantiam aliti: postrema est motus à minore ad majorem substantiam.

V. Adeps

## V.

**A** Deps, sanguis, alijque humores, vitales, animales-  
que spiritus, pinguedo, & ossium medulla non vi-  
vunt; vivunt autem dentes, ungues, rostra, capilli, &  
spinæ dorsi medulla, non peculiari & distinctâ quævis,  
sed animâ totius.

## V I.

**A** Nima sensitiva cognoscit, appetit, loco movetur.  
Ejus sensus externi quinque sunt, Visus, Auditus,  
Odoratus, Gustus, & Tactus. Internus entitativè  
unus est, officio quadruplex, in cerebro subjectatus.

## V I I.

**V** Isio fit in tunica retina; proindè potentia visiva  
in eadem residet. Ejus objectum est vel lumen,  
coloratum, vel color illuminatus. Lumen distinguitur  
à colore. Hic est motivus perspicui in actu: illud,  
actus perspicui, ut perspicum est.

## V I I I.

**A** Uditus in tympano residet. Ejus objectum est so-  
nus. Echo est soni reflexio. Echo non reddit  
fracta verba, sed singulas distinctè syllabas. Sonus à  
motu distinguitur; nunquam tamen est sine motu.

## I X.

**O** Doratus est in carunculis papillaribus; ejus obje-  
ctum qualitas odorabilis. Gustus in lingua & pa-  
lato: ejus objectum est sapor. Tactus denique in quâ-  
vis corporis molliore parte; ejus primarium objectum  
sunt primæ qualitates.

## X.

**A** Nima Rationalis immortalis, spiritualis, indivisi-  
bilis est. Indivisibilitas melius ex immortalitate,

quam spiritualitate probatur. Non enim repugnat spiritum constare partibus integrantibus non exigentibus quantitatem.

X I.

**N**ec Salomonis anima perfectione substantiali individuali superat animam Melibæi, nec Aristotelis, animam Menalcæ. Operationum ergo diversitas, in dispositionum diversitatem est refundenda.

X I I.

**O**bjectum intellectus est ens, & non ens. Intellectio nunquam reperitur sine verbo mentis, non est tamen formaliter productio Verbi mentis, sed pura, & vitalis intellectus in objectum tendentia. Verbum à specie impressa non distinguitur. producitur ab Intellectu agente.

X I I I.

**S**pecies intentionales dari, non dubitamus. Sunt formales objectorum imagines. In sensu interno & Intellectu ab ipsâ animâ producuntur; in visivâ & auditivâ potentiatâ, ab objectis. In gustu, tactu, odoratu non dantur.

X I V.

**S**pecies non concurrunt effectivè ad actus, sed objectivè. non sunt ejusdem cum objecto rationis. non repræsentant actu, nisi cum potentia actu in illas tendit. Species objectorum divisibilium sunt in repræsentando divisibles.

X V.

**A**nima rationalis ad actus suos eliciendos habitibus adjuvatur. Habitus à speciebus distinguuntur. producuntur per actus. Augentur etiam per remissiores. corrumptur formaliter per habitus contrarios, effectivè per actus oppositos.

X VI.

**N**on dantur habitus in potentijs omnino determinatis; dantur in Intellectu & voluntate. Ad actus potentiarum non concurrunt in genere causæ efficientis; sed formalis per modum ponderis inclinando.

*QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.*

- I. Heydelbergæ quidam altero amissō oculo, altero clauso, aut manu perfectè velato lumen sub nares positum videbat. Quæritur, qui id fieri potuerit?  
 II. An quis per Dentes audire possit?

**EX METAPHYSICA.**

I.

**N**s reale est, aptum existere: possibile, ex quo in actu posito nulla sequitur contradictione: Impossibile, ex quo, si poneretur, sequeretur esse & non esse. Actuale quod sua existentia actuatur.

I I.

**D**atur & ens rationis; ejus essentia est, posse tantum objectivè existere in intellectu: ejus existentia est cognitio. Fit per solam primam mentis operationem. Omnis propositio necessaria negativa vera, involuit ens rationis.

I I I.

**E**xistentia entis actualis ratione ab eo distinguitur: Subsistentia modaliter à substantiâ. Hæc ultimò terminat, completque naturam substantialem, & reddit eandem alteri supposito incomunicabilem.

F

I V.

I V.

**E**ntis attributa sunt Unum, Bonum, Verum. Bo-  
num & Verum, vel absolutè, vel cum respectu ad  
Voluntatem, & Intellectum explicari possunt. Unum  
dicitur, quod est indivisum in se, divisum à quolibet a-  
lio: proinde per negationem explicatur.

V.

**V**NITAS INTRINSECA, rebus secundum se; extrinseca  
per Intellectum competit. illa est rerum ipsarum  
entitas; hæc est intellectus actus, quo plura secundum  
unum connotatum cognoscuntur. Hac unitate fi-  
unt universalia.

V I.

**V**NIVERSALE est multa unum. Datur à parte rei. Es-  
sentialiter tamen unitate, quam aptitudine constitui-  
tur. Hanc de materiali, illam de formalis dicit. Apti-  
tudo sunt ipsa naturæ multiplicabilis individua. V-  
nitas est cognitio abstractiva.

V II.

**Q**uinque sunt Universalia. in ratione universalis  
conveniunt univocè. Individuum ut sic non  
constituit peculiare universale, licet de individuis exer-  
citis univocè prædicetur.

V III.

**C**ENUS inest pluribus specie differentibus, ut pars a-  
ctualis simul, & ut totum potentiale. Species  
prædicabilis inest multis solo numero differentibus:  
subiectibilis non est universalis. Datur utriusque con-  
ceptus unus.

IX.

I X.

**D**ifferentia inest inferioribus speciei, quam consti-  
tuit, in quale quid. Inferior non includit forma-  
liter superiorē. Proprium inest inferioribus suā spe-  
ciei in quale necessario. Accidens inest multis subje-  
ctis in quale contingenter.

X.

**V**NITATI opposita est distinctio. Realis est ipsa re-  
rum plurium entitas. Explicari potest per nega-  
tionem, aut relationem. Modalis inter rem & mo-  
dū intercedit. Alia ab intellectu independens non datur.

X I.

**D**ISTINCTIO rationis est denominatio rebus extrinse-  
ca, sumpta à conceptibus rem per plura connota-  
ta percipientibus. Præcisiones objectivæ nullæ dan-  
tur. Ergo quando concipis risibile, admirativum, rati-  
onale, semper totum hominem concipis.

X I I.

**A**DRERUM Distinctionem consurgit relatio. Præ-  
dicamentalis positâ ratione fundandi nihil est à  
fundamento & termino distinctum. Terminus est ab-  
solutus. Transcendentalis soli fundamento identifi-  
catur, dicit tamen essentialiter terminum.

X I I I.

**D**ANTUR Intelligentiæ creatæ. Sunt substantiæ spi-  
rituales, incorporeæ, simplices non implicantes,  
compositæ.

X I V.

**I**Ntelligentiæ de facto specie & numero inter se diffe-  
runt. Ad extra immediate nihil producunt, plurima  
mediate activa passivis applicando.

X V.

**I**Ntelligentiæ ad intellectiones speciebus utuntur, per-  
fectiores perfectioribus; fortassis singulæ unica; eaq;  
nec

nec ab objectis, nec ab ullo eorum intellectu agente, producta; sed à Deo in eorum creatione infusa.

X V.

**L**iquuntur per conceptus sui manifestationem, ad quam prævia requiritur volitio manifestandi. audiunt perceptione conceptus manifestati. Locutio libera est; auditio est necessaria.

X V I.

**D**ei existentia à priori nequit, potest à posteriori demonstrari. Est unus, simplex, actus purus, æternus, immensus, omniscius, omnipotens, immutabilis.

X V I I.

**N**ihil puritati actus omnipotentia, nihil immutabilitati libertas officit. Volitiones enim Divinæ extrinsecè solùm, & quoad terminationem plures sunt ac diversæ; intrinsecè sunt ipse Deus: Cui uni Principio & Fini, principium finemque Philosophiæ nostræ consecramus.

QVÆSTIONES PROBLEMATICÆ.

I. An Philosophia sit entitas absoluta, an relativa.

II. An Philosophia possit finem habere.

